

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 144. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415584748912.pdf> (tilgået 06. maj 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

Eodem anno Comes de Aaldenborg nomine Christophorus, regis Christierni consanguineus, ex Holsatia, quam inuaserat Lubicensium opera, Christierni ducis armis pulsus, ipso die decem milium martyrum uenit in portus Sialandi, Lubicensium nauibus transuectus, occupaturus, si pro uoto illi omnia succederent, non tantum Sialandiam, sed vniuersam Daniam nomine regis Christierni iam captiui. Cumque vnam tantum noctem quieuisent, diluculo profesti beati Ioannis baptiste, terram ascendentes, eodem die Roschildiam peruenerunt, vbi mira alacritate vulgi iuratum est in nouum principatum, nullo sanguine fuso, ac pene nulla ui admota. In curiam | episcopi mira spoliandi libidine grassatum est, atque in quosdam clericos grauiter seuitum, idque potius seuitia militum quam iussu principis, a quo minarum uiolentia sic multis est intentata, ut nihil non impetraret. Hic uidere licuisset, quanta sit ignobilis uulgi insania, quod nullo iudicio, nulloue consilio preceps ruit in omnem immanitatem. Nam ante finem 145 tridui adeo defecerat vniuersum Sialandie uulgi a propriis dominis, sic urgente ualida conspiratione, ut non solum incenderet ac spoliaret nobilium edes, sed etiam perderet ac captiuaret bonam nobilium partem, si licuisset. Erat enim iustum dei iudicium, quod tunc nobilitati imminebat, nimirum crudelitatis, auariti, superbi ac hereseos condigna pena. Nam Lutheranismus heresis omnium maxima adeo illorum ingeniis arridebat, vt solo Cleri odio facti erant omnium sacrorum Christian religionis impudentissimi contemptores, hoc nequiores, quod euangelij titulo | et pietatis spetie fucarent omnia, cum essent alioqui sceleratissimi. Nec alius secutus est predicati Lutheranismi fructus, quam communis uulgi rebellio et inobedientia, diu antea multorum uaticiniis prenunciata. Porro diuina vltione factum est, ut hec tragdia tanta celeritate gereretur, ut ipsis nobilibus omne repugnandi consilium <preclusum sit mutua a se distantia>. Nec tantum distabant a se corporum societate et commertio, sed etiam animis dissidebant, sibiinuicem parum fidentes, et ex nobilibus, qui tenues erant, non minus erant ditioribus et potencioribus infesti quam ipsum ignobile uulgi, unde factum est, ut plerique ex tenuibus etiam ad partes Christierni regis deficerent, sic edes et facultates suas ab incendio redimentes. Decreuerant enim Sialandi proceres, audito rumore uenturi hostis, ex Haffnia repugnare, quo tamen congregari non poterant ob innatam Danorum | tarditatem, quorum iccirco tarda sunt semper consilia, ac tunc maxime, quando res ardua maturitatem flagitat. Quidam etiam illibenter credebant se Haffnensibus ob perfidi 146 suspicionem. Erant enim ex Haffnensibus multi, quia Lutherani, Christierno regi addictissimi, quidam uero nobilitatis osores grauissimi, ob negociationes, quas exercebant ditiores, maximo omnium ciuitatum detrimento, ac perpetuo earundem murmure. Siquidem nobilium negociationes et tyrannis uidetur fuisse precipua huius tragdi causa, mercatus boum erat ciuitatum maxima iactura, pastura uero eorundem erat rusticis ut nouum onus ita intolerabile. Sicque factum est, ut auariti et questus causa ruerent in mutuam perdicionem.